

SABBATO

De Martyrologio Prídie Nonas Júnii.
Luna decima

Dies Pentecostes, quando Spíritus sanctus Hierosólymis super discipulos igneis linguis advénit. **A**gnóni, in Aprútio citerióre, sancti Francisci, ex nobíli Neapolitána familia Caráciolo, Confessóris, Congregatiónis Clericórum Regulárium Minórum Fundatóris, qui mira in Deum et próximum caritatē et ardentissimo sacre Eucharistiæ cultus propagándi stúdio flagrávit; atque a Pio Séptimo, Pontífice Máximo, Sanctórum cánoni adscriptus est. Ipsius corpus Neápolim, in Campánia, translátum fuit, ibique religiosissime cólitur. **R**omæ sanctórum Mártyrum Arétii et Daciáni. **S**iscie, in Illyrico, sancti Quirini Episcopi, qui, sub Galério Práside, pro fide Christi (ut Prudentius scribit), molári saxo ad collum ligáto, in flumen præcipitatus est; sed, lápide supematante, cum circumstátes Christiános, ne ejus tereréntur supplicio neve titubárent in fide, diu fuisset hortátus, ipse, ut mártýri glóriam assequerétur, præcibus a Deo, ut mergeretur, obtinuit. **M**edioláni sancti Clatē, Episcopi Brixiénsis et Mártyris, qui, sub Neróne Imperatóre, jussu Præféciti urbis illius tentus, et, cum renuntiáre Christo nollet, multis verbéribus afflíctus et cápite obruncátus est. **I**n Pannónia sanctórum Mártyrum Rútili et Sociórum. Tíbure sancti Quirini Mártyris. **A**trébati, in Gállis, sanctæ Saturnína, Virginis et Mártyris. **C**onstantinópolis sancti Metrophánis, Episcopi et Confessóris insignis. **M**ilévii, in Numídiá, sancti Optáti Episcopi, doctrína et sanctitate conspicui, quem sancti Ecclésiæ Patres Augustínus et Fulgéntius suis láudibus celebráunt. **V**erónæ sancti Alexandri Episcopi.

¶ Et álibi aliórum plurimórum sanctórum Mártyrum et Confessórum, atque sanctárum Vírginum. **R.** Deo grátias.

Ex Capite Septimo Regulæ Sancti Patri
Nostri Benedicti:
De Humilitate

Quintus humilitatis gradus est, si omnes cogitationes malas cordi suo

advenientes, vel mala a se absconse commissas, per humilem confessionem abbatem non celaverit suum, hortans nos de hac re Scriptura dicens: *Revela ad Dominum viam tuam et spera in eum*; et item dicit: *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia ejus*; et item propheta: *Delictum meum cognitum tibi feci, et injustitias meas non operui. Dixi, pronuntiabo adversum me injustitias meas Domino, et tu remisisti impietatem cordis mei*.

¶ Tu autem Domine, miserere nobis.

R. Deo grátias.

DOMINICA

De Martyrologio Nonis Júnii.

Luna Undecima

In Frisia sancti Bonifátii, Episcopi Moguntíni et Mártyris. Hic de Anglia Romam venit, indeque a beato Gregório Papa Secúndo in Germániam missus est ut Christi fidem illis géntibus evangelizáret, et, cum máximam ibi multitudinem, præsertim Frisonum, Christiánæ religióni subjugáset, Germanórum Apóstolus mérui appellári; novíssime in Frisia, a furéntibus Gentilibus gládio perémpus, una cum Eobáno Coepiscopo et quibúsdam áliis servis Dei, mártýrium consummávit. **T**yi, in Phénicia sancti Doróthei Presbýteri, qui, sub Diocletiano, multa passus est; et, usque ad Juliáni témpora supérstes, sub eo, annum agens séptimum supra centésimum, venerándam senéctam mártýrio honestávit. **I**n Egipto natalis sanctórum Mártyrum Marciáni, Nicánoris, Apollónii et aliórum, qui, in persecutióne Galerii Maximiani, illústre mártýrium consummáruunt. **P**erúsie sanctórum Mártyrum Floréntii, Juliáni, Cyriaci, Marcellíni et Faustíni, qui omnes, in persecutióne Decií Imperatóris, cápite cæsi sunt. **C**órdubæ, in Hispánia, beati Sáncii adulescéntis, qui, etsi in aula régia educátus, pro Christi tamen fide, in persecutióne Arábica, mártýrium subire non dubitávit. **C**esarææ, in Palastína, pássio sanctárum Zenáidis, Cýria, Valéria et Márcia; quæ, per multa torménta, gaudéntes ad mártýrium pervenérunt.

¶ Et álibi aliórum plurimórum sanctórum Mártyrum et Confessórum, atque sanctárum Vírginum. **R.** Deo grátias.

Ex Capite Septimo Regulæ Sancti Patri
Nostri Benedicti:
De Humilitate

Sextus humilitatis gradus est, si omni sivilitate vel extremitate contentus sit monachus, et ad omnia quæ sibi injunguntur velut operarium se malum judicet et indignum, dicens sibi cum propheta: *Ad nihilum redactus sum et nescivi; ut jumentum factus sum apud te, et ego semper tecum*.

¶ Tu autem Domine, miserere nobis.

R. Deo grátias.

FERIA SECUNDA

De Martyrologio Octávo Idus Júnii.

Luna duodecima

Magdebúrgi sancti Norbérti, ejúsdem civitátis Episcopi et Confessóris, qui Fundátor exstítit Ordinis Præmonstraténsis. **C**esarææ, in Palastína, natalis beati Philippi, qui fuit unus de septem primis Diáconis. Hic, signis et prodigiis clarus, Samaríam ad Christi fidem convertit, et Reginæ Æthiopum Candácis Eunúchum baptizávit, ac demum apud Cæsaréam requiévít. Juxta ipsum tres Vírgines, ejus filia ac Prophetissæ, tumuláte jacent; nam quarta filia ejus, plena Spíritu sancto, Ephesi occubuit. **R**omæ sancti Artémii, cum uxóre sua Cándida, et filia Paulína. Ex his Artémius, ad prædicationem et miracula sancti Petri Exorcistæ, ad Christum conversus, et, cum omni domo sua, a sancto Marcéllino Presbýtero baptizátus, Seréni Júdicis jussu plumbátus cæsus et gládio percússus est; uxor vero ejus et filia, in cryptam impúlse, lapidibus ruderibúisque sunt óbrute. **I**n agro Bononiénsi sancti Alexandri, Episcopi Fasuláni et Mártyris; qui, rédiens ex urbe Pápia, ubi Ecclésiæ suæ bona apud Longobardórum Regem ab usurpatóribus vindicáverat, ab his in Rhenum flúvium est dejectus et aquis præfocátus. **T**arsi, in Cilícia, sanctórum Mártyrum viginti, qui, tempóribus Dio-

cletiáni et Maximiani, sub Simplício Júdice, per diversa torménta glorificavérunt Deum in corpóribus suis. **N**oviodúni, in Gállis, sanctórum Mártyrum Amántii, Alexandri et Sociórum. **M**edioláni depositio sancti Eustórgii Secúndi, Episcopi et Confessóris. **V**erónæ sancti Joánnis Episcopi. **V**esontióne, in Gállis, sancti Cláudii Episcopi.

¶ Et álibi aliórum plurimórum sanctórum Mártyrum et Confessórum, atque sanctárum Vírginum. **R.** Deo grátias.

Ex Capite Septimo Regulæ Sancti Patri
Nostri Benedicti:
De Humilitate

Septimus humilitatis gradus est, si omnibus se inferiorem et vilíorem non solum sua lingua pronuntiet, sed etiam intimo cordis credat affectu, humilians se et dicens cum propheta: *Ego autem sum vermis et non homo, opprobrium hominum et abjectio plebis. Exaltatus sum et humiliatus et confusus*; et item: *Bonum mihi quod humiliasti me, ut discam mandata tua*.

¶ Tu autem Domine, miserere nobis.

R. Deo grátias.